IESVS, MARIA, IOSEPH.

SENTENTIA, SIMVL CVM MOTIVIS LATA IN CAVSA ANTONIÆ INFANTA, SVPER NVLLITATE PROFESSIONIS.

IESV CHRISTI NOMINE INVOCATO.

NOS Doctor D. Antonius de la Bastida Canonicus Doctoralis Ecclesiæ Collegialis Insignis Divæ Mariæ Maioris Civitatis Bilbilitanæ, Officialis Principalis, & Iudex piarum causarum Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini mei D. Fratris Francisci à Gamboa Archiepiscopi Cæsaraugustani, & Regij Consiliarij, &c. Attentis contentis pronunciamus, & declaramus professionem Antoniæ Infanta, vxoris Petri Ascanio emissam in Conventu Monialium Sanctæ Incarnationis huius Civitatis, neque ex defectu voti castitatis, aut Religionis à marito in sæculo manente non emissi, neque ex defectu licentiæ Ordinarij esse irritam, imò quoad substantiam, & formalitatem ex hoc capite fore, & esse validam, & efficacem. Sed ex deficientia legitimi consensus; & spontaneæ voluntatis mariti esse, & fore nullam, atque invalidam, ipsamque Antoniam Infanta ex hoc capite à Religionis voto, & nexu Monasticæ disciplinæ absolvendam, atque eximendam esse decernimus, qua propter prædicta vota relaxamus, cassamus, & annullamus, eamque in statu libertatis reponendam, & Petro Ascanio virò suo tradendam esse mandamus, Priorissamque, Moniales, & Coventum Sanctæ Incarnationis ad dotis restitutionem, & ad cancellationem instrumentorum pro eius securitate interpositorum, simulque ad bonorum Antoniæ Infanta in præfato Conventu existentium restitutionem condemnamus ei, & marito faciendam deductis tamen alimentis, & expensis ab ipsa in Conventu factis, & à Conventu ministratis, ad quarum solutionem eos condemnamus facto illorum postea à nobis legitimo computo: Antoniamque Infanta partem legitimam in hoc processu forè, & esse declaramus, & cum his pronunciamus traditionem Antoniæ Infanta, faciendam virò suo ex defectu voti perpetuæ continentiæ ab eo non emissi de iure procedere, & ad nos cum agatur de matrimonij instauratione, & non de Religionis privilegiis privativè, spectare, & pertine-

re, cætera per partes respectivè supplicata locum non habere declarantes, & neutra mearum in expensis condemnantes: Ex meritis enim processus liquido constat, quod Antonia Infanta transitum ad Religionem efficere, & in Conventu Monialium Incarnationis huius Civitatis ingredi, & profiteri in eo Canonicè, & legitimè cupiens, cum huic voto, & piæ intentioni ob impedimentum vinculi matrimonij consumati aditus præclusus esset (nullatenus enim ad Religionem nisi facultate, & consensu Petri Ascanio sui viri poterat converti) Ideòque ab eo instantissimè per Epistolam petiit per missum, & facultatem ad transitum, & professionem in Religione, quam maritus denegavit, sed postea præcibus importunis, & iteratis suasionibus vxoris anuens primam licentiam in Civitate de Medina de Rio Seco, vbi eo tempore commorobatur decimo octavo die mensis Aprilis, anni millesimi sexcentisimi sexagesimi primi concessit, sed diminutam, atque invalidam ex deficientia consensus ad professionem emittendam. Cum huius licentiæ, & facultatis immedicabile vulnus ab Ordinario huius Civitatis cui præsentata fuerat recognitum esset, prædictam licentiam est aspernatus, & Antoniæ Infanta facultatem profitendi denegavit, donec alia licentia mariti ad profitendum cum substantialibus iuris requisitis, & conditionibus adduceretur; & vt talis licentia defectu solemnitatum non periclitaretur præstita fuit formula, seu minuta à Ioseph de Soria Curiæ Archiepiscopalis Notario, qui ad actu examinis, & Ordinarij permissum testificandū fuerat adhibitus: quam minutam dicta Antonia Infanta, & Emanuel de las Eras, Petro Ascanio in Villa Matritensi eo tempore commoranti remissere, vt eius forma observata licentiam profitendi vxori suæ impertiret, & ab ipso sæpius denegata, postea minis substractionis alimentorum, & perpetua vxoris indignatione, & instantisimis, importunissimisque præcibus licentiam ad profitendum die secundo, mensis Decembris anni millesimi sexcentesimi, sexagesimi secundi extorsere, sed in Epistolis simul cum licētia missis violentiam, & compulsionem fuit protestatus, præfatamque licentiam non spontanea, & libera voluntate, sed coacta, & compulsa concessisse, nullumque votum perpetuæ continentiæ, aut Religionis efficere, velle immutabiliter decrevisse, vt ex testibus in hoc processu examinatis, & aliis documentis in eo exhibitis evidentissimè apparet, hacque licentia meticulosa, & involuntaria, & absque Ordinarij permissu, & facultate, quā ob efectum voti perpetuæ continentiæ denegandum esse decrevit (qualitas enim violentiæ, & dissensus mariti ipsi eo tempore erat suppressa) professionem in dicto Coventu Monialium emisit, Petrusque Ascanio in sæculo manens castitatem perpetuam non vovit, neque Religionem est ingressus: *Ex hac igitur facti seriè* apertissimè elicitur professionem Antoniæ Infanta, factam Petro Ascanio conjuge suo manente in sæculo licèt fuerit senex, & suspectus de incontinentia, & votum castitatis perpetuæ non emiserit, validam, atque efficacem esse ex communi, & receptiori Theologorum, & iurisperitorum sententia, quia de substantia professionis votum, aut conversio alterius coniugis non est necessaria, sed ad hoc vt licitè fiat Ordinis enim perversio, quando est de substantia non viciat actum, licèt ergo iure fieri debeat votum, vt professio alterius conjugis legitimè fiat, non tamen ius irritat contra factam, cum multa prohibeantur, quæ tamen facta tenent, minusque Ordinarij licentia ad professionis valorem desideratur, cum ipsa tantummodo de honestate, & decore requiratur. Invaliditas igitur, & nullitas huius professionis indeficientia consensus mariti innitur, atque radicatur: Licentia enim ab ipso præstita involuntaria, atque meticulosa extitit: In primis ex nimia aversione, quam ipse Ascanio eam concedendi semper habuit ex protestationibus, quæ ante illius concessionem

nem intervenere: Protestatio enim præcedens declarat animum in futuro desse, & præsumitur inter fuisse actui deinde sequuto licèt contrario, operaturque, quod actus sit nullus tanquam sine consensu, & revocatus per protestationem, maximè quando actus dependet à mera voluntate protestantis. Concurrunt etiam persuasiones, & præces importunæ frequentes molestæ factæ ab vxore mediantibus personis Emanuelis de las Eras, & D. Ioannis Antonij Cruzat, quæ forsam per se solent essent sufficientes ad annullandam præfatam licentiam, & professionem, facultas enim quam extorsit vxor à marito præcibus importunis nullitatis vicio laborare omnes animadvertunt, præcipuè adiunctis minis de substractio ne alimentorum, quæ ipsa Antonia Infanta virò suo præstare erat assueta, in quo omnes testes concordant, qui metus non minor profectò est, quam timor a missionis bonorum, aut maioris partis eorum, quem ad irritandum valorem licentiæ, & professionis sufficere est constitutissimum: Præsertim in virò imbecilli, & egeno, qui ob paupertatem mendicare tenebatur. Accedit etiam dolus ex alimentorum promissione in casu quo dictam licentiam impertiret postea non adimpleta, qui error licèt circa qualitates extrinsecas, tamen quando in eas fertur animus adimit consensum ab actu: Præterea supradicta licentia antequam ipsa Antonia Infanta professionem emisisset dissensu mariti revocata extitit, qui dissensus ipsi Antoniæ Infanta litteris, aut epistolis à marito simul cum licentia missis patens fuit, cuius noluntatis declaratio grande scrupulum in ea ingesit, & in die professionis mæstitiæ dolore erat anxia ob defectum consensus mariti, vt deponit licentiatus Ioannes de la Costa Clericus, & de mariti dissensu, etiam præter ipsum deponunt Emanuel de las Eras, & Michael Vivas Infantiones, qui ipsas litteras legerunt, viderunt, atque recognoverunt, illarumque tenorem referunt, & quamvis Epistolæ non sint exhibitæ in processu, & idèo non constet de relato, tamen fides testium ex hac parte non vacillat; quia cum ipsis depositionibus substantia Epistolarum appareat perfectum sensum iam habeant, & mutuari à relato non indigent, præfatæque Epistolæ stant non relativè, sed causativè, ipsique testes has Epistolas esse Petri Ascanio asseverant, quia litteram, & subscriptionem manu eius exaratam ex iterata lectura aliarum cognitam habere deponunt: Præterea eorum testimonium validissimè roboratur ex depositione D. Iosephi Porter & Casanate, testis omni exceptione maioris, qui de dissensu mariti post præstitam secundam licentiam, & ante professionem Antoniæ Infanta pluries sibi ab ipso participato, & communicato deponit circunscribendo, & præfigendo tempus in quo prædictam repugnantiam, & contradictionem Petri Ascanio audivit, scilicèt ferè per totum spatium anni millesimi sexcentesimi sexagesimi secundi, cum prætensa professio vigesimo quinto, die mensis Ianuarij anni millesimi sexcentesimi sexagesimi tertij ab Antonia Infanta facta fuerit, huic veritati etiam adhæret depositio Ioannis Antonij de Crucat præfatæ licentiæ mediatoris, qui repugnantiam, & nimiam aversionem Petri Ascanio ad illam præstandam refert, simulque dissensum post eius concessionem, & ante emissam professionem manifestat, quia illico ipse Petrus Ascanio de Violentia, dolo, & dissensu concessionis præfatæ licentiæ fuit conquæstus. De hac etiam repugnantia, & contraria voluntate etiam deponit Franciscus Matá, & de dissensu Petri Ascanij ad præstandum permissum, & facultatem profitendi, tam ante actum, quam post eum, & ante, & post professionem omnes testes concordant: Ipseque Petrus Ascanio præter Epistolas in processu exhibitas huius dissensus, & violentiæ declarationem authenticam Corduvæ fecit, quæ testium depositionibus mirificè congruit, & ad stipulatur, qua propter cum concurrerint coactio, &

aver-

aversio dicti Petri Ascanio tot actibus, & tempore tentatæ, & concurrant etiam protestationes ante actum præfatæ licentiæ, & post, & ante professionem Antoniæ Infanta, simulque post professionem, aliaque tot præcedentia, & subsequentia signa aversionis Petri Ascanio iungantur proculdubio omnibus simul iunctis licèt per se singula non sufficerent inexcusabilis patet invaliditas licentiæ, & professionis, maximè in hac re tam spirituali, & tam liberæ, & spontaneæ voluntatis, vbi de dissensu, testibus, aut aliis interioribus probationibus constare sufficit. Præterea supradicta licentia alio etiam ex capite periclitatur, quia fuit extorta promissione donorum, munerum, aut prætio, & cum materiam merè spiritualem cótineat, Symoniæ labe maculata est, ac per consequens nulla, & infecta. Neque obiecta testium pro hac parte examinatorum fidem eorum corrúpunt, atque dilacerant, licèt enim Emanuel de las Eras huius causæ solicitator extiterit, tamen cum huius licentiæ, & professionis tractatus per ipsum ageretur, & sub eius manu possitus fuerit rectè deponere valet; Michael autem Vivas, & Ioannes Lacosta licèt sint eius famuli, & commensales, idonei tamen sunt, & habiles testes, quia Emanuel de las Eras, in hac causa partem non facit, & tantummodo est improbatum domestitum testimonium, quando Dominus famulorum interesse habet in causa. Vlterius, quia dissensus, & metus difficilis sunt probationis, cum in animi præcordiis existant, qua propter omnes testes etiam inhabiles admittuntur, & singularibus testibus, & aliis præsumptibis probationibus comprobantur: Testesque inhabiles etiam aliorum testimonio iuvantur: Neque depositio licentiati Philippi Estopañan contra prædicta aliquid refragatur, quia licèt ipse de metu, & dissensu non deponat, ex auditu Emanuelis de las Eras, neque ipse in litteris ab eo lectis, quas esse Petri Ascanio ex propria scientia ignorat, metum, & aversionem non intellixisset, tamen ex auditu Reverendi Patris Magistri Raimundi Lumbier hanc repugnantiam, & contradictionem mariti refert, & sic eam concludenter probat. Vltra quod præfatæ litteræ fuere anteriores, & missæ ante præstitam secundam licentiam: Itaque ex tot coniecturis dissensum aperte manifectantibus, nullitas, atque invaliditas prædictæ licentiæ ex defectu consensus evidentissimè insurgit, ac per consequens professionis invaliditas, atque irritatio; & in quocumque casu, & eventu traditionem Antoniæ Infanta, Petro Ascanio virò suo fieri debere, & eius executionem ad nos privativè spectare communior, & receptior est opinio, quia maritus, qui in sæculo sine voto perpetuæ continentiæ mansit, ius habet revocandi vxorem: *In decretali Alexandri tertij* ipsi irrefragabiliter concessum, & senectus prætésa Petri Ascanio ex processu non constat, & in eo adest periculum incontinentiæ attento enim statu, & qualitate personæ apud omnes benè nota, semper tale periculum præsumendum est, & cum hæc causa restitutionis, & traditionis sit matrimonialis, & Sancti Concilij Tridentini decretis, & Sacrorum Cononum constitutionibus causæ matrimoniales tantummodo ad Ordinarium spectent, & in ipsa traditione de Religionis privilegiis non agatur, ideò ad nos privativè spectare pro certo habemus. Ita non solum præmisso, sed etiam alio quovis meliore modo sententiandum esse decernimus.

Ita pronunciamus. D. la Bastida Offic. Princ.